



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia

Roberti, Johannes

Leodii, 1632

S. Philogonivs Episcopvs, Graecvs, Antiochenvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45032

S. PHILOGONIUS
 EPISCOPVS, GRAECVS,
 ANTIOCHENSIS.

ASSERTIO IVRISPER.

Martyrologium Rom. die
 20. Decemb:

*Antiochia natalis Sancti PHILOGONII
 Episcopi, qui ex CAUSDICO, ad eam
 Ecclesiam regendam, DEI nutu accersitus,
 aduersus Arium, vnà cum Sancto Ale-
 xandro Episcopo, & socijs, primùm pro fi-
 de Catholica certamen inijt, clarusq; me-
 ritis, quieuit in Domino: cuius annuam
 festiuitatem S. Ioannes Chrysostomus præ-
 claro encomio celebrauit.*

HOc publicarum Ecclesiæ Tabula-
 rum tam nobili Testimonio, non
 tantum vides, fuisse *Iurisconsultum*: ve-
 rum etiam Elogium huius Sancti habes,
 quo maius non expectes. Quantum enim
 est, DEI nutu accersiri ad tam nobilem
 Ecclesiam regendam! Quantum, aduersus
 funestissimum Hæresiarcham Arium nõ
 mo-

modo pro fide Catholicâ inire certamen; sed primum, sed cum talibus socijs! Quantum, meritis clarum quiescere in Domino! Quantum, à Chrysoftomo laudari, tam laudato viro! Ex ipso tamen Aurei oris sermone, hæc pauca de S. Philogonio accipe.

Vbi DEVS suo suffragio aliquem designauerit, illaq; manus sanctum contigerit caput: incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione iudicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter eius, qui delegit, auctoritatem. Porro, quod elegerit eum DEVS, vel ex ipsâ morum integritate perspicuum est: quippe quem ex medio abreptum FORO, ad thronum hunc euexerit. Adeo castam, & insignem prius egit vitam, cum vxorem haberet, & filiam, & in FORENSIBVS negotijs versaretur; adeo Solem ipsum splendore vicit, vt protinus ab illo gesto, hoc Magistratu dignus videretur, & à tribunali ad tribunal euectus sit. Actum quidem hominibus patrocinabatur aduersus homines, qui struebant insidias, eos, qui afficiebantur iniuriâ, superiores reddens ijs, qui iniuriam inferebant.

Hic

Hic autem adest hominibus patrocinans aduersus Demones inuadentes. Hæc Chrysoftomus, & plura.

Etiam ex Nicephoro Callisto ista tibi exhibeo, è lib. 8. Hist. cap. 6. Ecclesia reliquam structuram Philogonius perfecit, qui ex CAUSDICO Episcopus, Licinij temporibus, vti virum fortem decet, ardorem, & emulationemq; suam pro verâ pietate ostendit.

Nec habeo, quod addam, nisi modicum fragmentum Epistolæ pestilentissimi Arii, qui apud Epiphanium Hæresi 69. quæ est Ariomanitarum, de nostro Philogonio, & aliquot alijs Sanctis, ita ait: Excepto Philogonio, & Hellanico, & Macario, hominibus Hæreticis, in Fidei doctrinâ non instructis. Hos impios neque audire possumus, etiamsi infinitas mortes nobis Hæretici minentur.

Ita Hæreticorum infernalis Coryphæus, à quo Hæreseos damnari, fuit Catholicum declarari, & verè orthodoxum.

Floruit Anno Christi 320. Obijt. 20. Decemb.

S. PRI-